

Ut de cetero Commissi in Congr. S. Bernardi Monachorum Italiae Ordinis Cisterciensis exacto biennio ad habitum Conversorum admitti, & post annum Novitiatu profiteri possint.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ferdinand. Ughellus Abbas, & Tusciae ac Hilarion Rancatus Lombardiae Provinciae Congregat. S. Bernardi Monachorum Italiae Ordinis Cisterciensis respective Procurat. quod ante viginti, vel circiter annos in capitulo ejusdem Congregat. ordinatum fuit, ne ex tunc in posterum habitus Conversorum dd. Congregat. cuiquam praestari posset, nisi qui quinquennio continuo Commissus in ipsa Congregat. fuisset, eaque ordinatio postmodum Constitutionibus Congregat. praedictae a felic. rec. Urbano Papa VIII. Praedecessore nostro confirmatis inserta fuit. Verum tot annorum experientia comperit, Ordinationem hujusmodi eidem Congregat. multifariam esse nocuendo, attento quod Commissi, ut plurimum tam diuturnae morae tadio non perseverent, sed egrediantur, non sine Monasteriorum ipsius Congregat. dispendio, cum non reperiatur, qui tam longam probationem subire velint: Ut proinde eorumdem Monasteriorum Superiores Conversorum professorum defectu, nec opera Commissorum pro bonorum temporalium ad ipsa Monasteria spectantium cura, & administratione uti volentes, eam curam secularibus cum gravi Monasteriorum hujusmodi detrimento, demandare cogantur.

Confirmat decretum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecti pariter filii Definitorum memoratae Congregat. in Capitulo ipsius Congregat. novissime celebrato, praemissis mature consideratis, decreverunt, Nobis esse supplicandum, ut quinquennium praedictum ad duos annos reducamus, quibus elapsis Commissi, si alias idonei reperi fuerint, ad praedictum habitum Conversorum, & subinde peracto novitiatu anno ad professionem regularem admitti possint: Nobis propterea dicti Ferdinandus, & Hilarion humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ferdinandum, & Hilarionem a censuris absolvit S. P.

§.2. Nos igitur ipsos Ferdinandum, & Hilarionem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicatione, & c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero Commissi in Congr. praedicta exacto biennio ad habitum Conversorum ejusdem Congregationis, si ad id alias idonei existant, servatis servandis admitti, peractoque subinde novitiatu anno professionem regularem per dictos Conversos emitti solitam expresse emittere

libere, licite, & valide possint, & valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

§.4. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas &c. Sicut in praemissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Præsentes litterae tamquam firmæ habendæ sunt.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinatis Apost. necnon dictae Congregat. &c. quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque;

Contraria respuit.

§.5. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis manu &c. eadem prorsus ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud fides adhibeatur, quae ipsimet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis credendum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Dec. 1659. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. die 10 Dec. 1659 An.V.

CCLXXI.

Confirmat Decretum circa receptionem oblatorum, probationem, & admissionem ad habitum in Provincia SS. Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis S. Francisci.

Ex Regest. in Secret. Breu.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad futuram rei memoriam.

Alia pro parte dilectorum filiorum. Ministri Provincialis, & Definitorum Provinciae SS. Ludovici, & Elzearii Congregat. Gallicanae Tertii Ordinis S. Francisci Nobis exposito, quod Regula d. Tertii Ord. Cap. 2. & Concil. Trident. sess. 25. c. 15. determinant unum annum probationis pro Novitiis, Constitutiones vero generales ejusdem Tertii Ord. ab hac S. Sede approbatae determinant duos annos pro Novitiatu Fratrum Oblatorum, seu servientium, qui emittunt tria vota solemnia Religionis, ac insuper quartum votum de non procuranda alia conditione a sua, C. 1. §. 2. de Fratribus Oblatis, fel. autem rec. Clemens PP. VIII. Praed. noster per quamdam suam Constitut. die 19. Martii 1603. emanatam ordinavit, ut unaquaque Religio sua specialia instituta observare teneatur circa FF. Oblatorum receptiones.

Expositio.

§.1. Et in eadem expositione subiuncto, quod pro consolatione quorundam FF. Oblatorum, qui tunc in d. Tertio Ordine existebant, Superiores ipsius Tertii Ord. consenserunt alias ut a re: me: Urban. Papa VIII. Praedecess. pariter nostro procuraretur dispensatio pro dd. FF. Oblatis super ipsorum quarto voto, & licentia transeundi ad statum FF. Conversorum, seu Laicorum, cum assumptione Caputii, sicut de facto idem Urbanus Praedecess. die 16. Aug. 1647. dispensavit cum FF. Oblatis, qui tunc in d. Tertio Ord. existebant, quod-

quodque ab illo tempore in aliquibus Conventibus d. Congregat. Tertii Ord. diversis, & differentibus modis factae fuerunt receptiones dd. FF. Oblatorum, siquidem aliqui Superiores sibi persuadentes praed. Constitutiones Gen. Tertii Ord. determinantes duos annos pro Novitiatu FF. Oblatorum, esse contrarias Regulae Tertii Ord. & Concilio Trident. praedd. requirentibus unum tantum annum probationis in Novitiis, admittunt in Ordinem FF. Oblatos sine Caputio, cum uno tantum an. probationis.

§.2. Et ulterius occasione liter. d' Urbani Praedecess. in simili forma Brevis super praemissis emanatarum, per quas ipse Urbanus Praedecess. dispensavit cum dd. Oblatis, qui tunc erant in Ord. super quarto voto, eisque concessit transitum ad statum Laicalem post decem annos a sua receptione; FF. Oblati, qui de novo recipiuntur in Ord. quartum votum ab Oblatis emittendum non emittunt, ac post tempus aliquorum annorum assumunt Caputium sine ulla auctoritate hujus S. Sedis, & dispensatione Constitutionum Gen. d. Tertii Ord., contra quas novus status, seu conditio in Religionem inducitur.

§.3. In aliis vero Conventibus Tertii Ord., & Congreg. hujusmodi admittuntur dd. FF. Oblati, seu Servientes, juxta formam Constitutionum Gen. Ord. cum quarto voto, de non procuranda alia conditione a sua, idque eo magis, quod cum sit dispensatio, ipsa est de voto jam facto, non vero de faciendo: & praed. Urbanus Praedecess. dispensavit cum Oblatis, qui votum emiserant, & tunc temporis in Ord. existebant; minime vero ordinavit aliquid circa Oblatos in futurum recipiendos, aut quoad hoc Constitutiones Gen. Ord. immutavit. Itas autem diversas, & differentes FF. Oblatorum receptiones non minime parere in d. Congreg. Tertii Ord. confusionem, & plures scrupulos, ac dubia ingerere in animos: Et propterea Nobis humiliter supplicato, ut dignaremur declarare.

§.4. Primo, an constitutiones Gen. d. Tertii Ord. requirentes duos annos probationis in Oblatis, seu FF. Servientibus, vota solemnia emittentibus, sint contrariae tam Regulae ejusd. Tertii Ord., quam Decreto Concilii Trident., unum annum probationis exigentibus in Novitiis? Secundo, an occasione relaxationis, & dispensationis factae a memorato Urbano Praedecess. cum FF. Oblatis, qui tunc temporis existebant in Ord. super ipsorum quarto voto de non procuranda alia conditione a sua, & super assumptione Caputii post decem annos possint de novo recipi Oblati, seu Servientes cum uno anno solum probationis, ac admitti ad Caputium, & statum Laicorum; possitque talis usus, & status novus introduci contra Gen. Statuta Ord. sine debita auctoritate Sedis Apost. Tertio, an Fratres Oblati, qui in tali statu novo, & non approbato a Sede praed. fuerunt admitti in Religionem, sint vere Religiosi, & pro-

fecti. Quarto, an d. dispensatio concessa ab Urbano Praedecess. praed. pro Oblatis, qui tunc temporis existebant in Ord., impediatur quominus recipiantur in Ord. FF. Oblati juxta formam Constitut. Gen. d. Tertii Ord. ab ead. Sede approbatarum?

§.5. Nos negotium hujusmodi Ven. FF. Emilio Camerinesi, & Carolo Clusinen. si Episcopis demandavimus, a quibus emanavit Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Illi, ac Rmi D. D. de Alteriis Episcopus Camerinen., & D. de Vecchis Episcopus Clusinen. auctoritate Apost. sibi specialiter commissa omnibus mature perpensis censuerunt, & declaraverunt sicuti hoc praesenti decreto censent, & declarant. Primo, non obstare Concilium Trident., nec Regulam Tertii Ord. quominus Oblati, seu Servientes juxta tenorem Constitutionum Gen. d. Ord. debeant biennio integro probari, & eo expleto ad professionem admitti. Secundo, non posse admitti ad Caputium, seu statum Laicorum FF. Oblatos, seu Servientes, qui admitti sunt in Religionem post Breve san. me. Urb. VIII. cum d. Breve loquatur tantum de illis Oblatis, qui tunc existebant in Ord. Tertio, dictos Oblatos de novo receptos in statu novo, & non approbato a S. Sede, non esse veros Religiosos. Quarto d. Breve Urbani non impedire quominus recipiantur in Ord. FF. Oblati juxta formam Constitutionum gen. d. Tertii Ord. a S. Sede approbatarum, non obstantibus quibuscumque in contrarium. Romae 9. Oct. 1659. E. Episc. Camerinen. Secret. C. de Vecchis Episc. Clusinen. S. C. C. Sec.

§.6. Cum autem sicut praedd. Exponentes Nobis denuo exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius substantia Apost. confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, & c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim auctoritate Apost. tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiacimus.

§.7. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, &c. sicut in praemissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Decretum citans.

Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Dec. 1659. Pontificatus nostri anno V.

Dat. die 10 Dec. 1659 An.V.

CCLXXII.

Quod Monachi S. Basilii Hispaniarum possint deferre Cucullam amplam talarem, manicatam, quam floccum vocant: In Causa Salamantina Cucullae.



**I**N Congregat. Sac. Rituum Ordinaria habita coram SSmo, Eius D. Card. Azzolinus retulit controversiam Monachorum S. Basilii, & S. Benedicti Hispaniarum super usu Cuculle amplæ talaris, quam floccum nuncupant. Et juribus utriusque partis hinc inde, necnon voto Sacre Rotæ auditis, ac mature perpensis, Sanctitas Sua censuit, decrevitque licuisse, ac licere Monachis S. Basilii deferre Cucullam amplam, talem, manicatam, quam floccum vocant, ac proinde manutenendos esse in ejusd. usu. Die 27. Sept. 1659. I. Episc. Sabinensis Cardinalis Sacchetti. Loco sigilli. Franc. Maria Phœbeus Sac. Rit. Congr. Secr.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. **C**ontroversiam inter dilectos filios S. Basilii ex una, & S. Benedicti Ord. Monachos in Hispaniis degentes ex altera partibus super usu Cuculle amplæ talaris, quam floccum nuncupant, verentem pro commissa Nobis cœlitus pastoralis officii cura, sine debito terminare cupientes, litemque super ead. controversia pendentem a quibusvis Judicibus (quorum omnium, & singulorum, necnon colligatorum nomina, cognomina, & qualitates, ac litis, & causæ hujusmodi statum, & merita, cæteraque etiam speciali, & individua mentione digna præsentibus haberi volumus pro expressis) ad Nos harum serie avocantes, ac dilectum pariter filium Dionysium Mungo Abbatem d. Ordinis S. Basilii specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Dionysii Abbatis Gen., totiusque Ord. præd. S. Basilii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. Sacris Ritibus præpositorum consilio, juribus utriusque partis hinc inde, necnon voto dilectorum filiorum Capellanorum nostrorum, S. P. A. Auditorum auditis, ac mature perpensis, auctoritate Ap. earumd. tenore præsentium decernimus licuisse, ac licere Monachis ejusd. Ord. S. Basilii deferre Cucullam amplam, talem, & manicatam, quam floccum vocant, ac proinde manutenendos esse in ejusd. usu: litemque præd. perpetuo supprimimus, & extinguimus.

§.2. Decernentes pariter ipsas præsentibus literas semper firmas, &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiti debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus litis hujusmodi pendentiæ, aliisque præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis gen., vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, prædd. Ord., aliisque quibusvis &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confir-

Præsentibus literis confirmat.

Delegatio con. car. orum

matis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Dec. 1659. Pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24.  
Dec. 1659.  
An. V.

CCLXXIII.

Declaratio super modo intelligendi quoddam Decretum pro Episcopo Curien., & Abbate Monasterii de Enfylden. super jurisdictione.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. **A**lias per quoddam Decretum, die 20. Januarii 1657. emanatum declaravimus exemptionem in unis fe: re: Urb. VIII., & in aliis Innoc. X. Romanorum Pontificum Prædecess. nostrorum in simili forma Brevis literis concessam dilecto filio Abbati Monasterii Abbatie nuncupati de Enfylden. Ord. S. Benedicti Curien. Diocæs. esse intelligendam, & restrictam ad Jurisdictionem ordinariam, quæ Ven. Fratri Episc. Curien. uti Ordinario competit, non autem ad Jurisdictionem delegatam ex Sac. Concil. Trid., & ex Constitutione rec. mem. Gregorii Papæ XV. Prædecess. pariter nostri de exemptione privilegiorum eidem Episc. uti Sedis Apostolicæ delegato competentem quoad visitationem Ecclesiarum, & quoad omnia concernentia curam animarum, & Sacramentorum administrationem, ita tamen, ut in istis peragendis idem Episcopus exprime teneatur, se non uti Ordinarium, sed uti Sedis Apost. Delegatum visitare, ac procedere, imposito desuper utrique parti perpetuo silentio, & alias prout in eodem Decreto, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, continetur.

Declaratio.

§.2. Cum autem, sicut pro parte prædictorum Episcopi, & Abbatis Nobis nuper expositum fuit, exorta fuerit inter ipsos Episc. ex una, & Abbatem ex altera partibus circa intellectum Decr., seu declarationis hujusmodi controversia, quam ipsi auctoritate nostra dirimi plurimum desiderant: Nos specialem eidem Episcopo, & Abbati gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis Ven. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium memorati Concilii Trid. Interpretatum, ad quam prædicta controversia definitionem remisimus, consilio, prævia etiam informatione dilecti filii nostri, & Sedis prædictæ Nuncii in Dominio Helvetiorum, & Rhetorum residentis, re per eosdem Cardinales mature examinata, prænaratum Decretum, sub

Declaratio.

Declaratio.

sub

sub die 20. Januarii 1657. editum, intelligendum esse, remanente eidem Episcopo Curien. auctoritate ordinaria in Populum, & Parochianos, eademque ordinaria Jurisdictione immediata in Ecclesias, & Rectores penes Sedem Apost. reservata, injuncta tamen Parochis comparitione ad Synodum, & Capitula ruralia, necnon competente collectarum taxatione, auctoritate apost. tenore præsentium declaramus, salva semper in præmissis auctoritate memoratæ Congreg. Cardinalium.

§.2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 2. Januarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXIV.

Confirmatio Concordiæ super Controversiis inter Episcopum, & Capitulum Ecclesiæ Curien., & Abbatem Monasterii Dissertinensis Curien. Diocæs. occasione exemptionis d. Monasterii vertentibus, auctoritate Nuncii Apostolici apud Helvetios stabilitæ.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad perpetuam rei memoriam.

**M**ilitantis Ecclesiæ regimini per abundantiam divinæ bonitatis, nullo licet meritum nostrorum suffragio præpositi, illa, quæ inter personas Ecclesiasticas amabilis concordia studio provide transacta, & stabilita esse dignoscuntur, libenter cum a Nobis petitur apostolici muniminis patrocinio roboramus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Ven. Frater Episcopus Curien., & dilecti filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Curien., necnon Abbas Monasterii Abbatie nuncupati Dissertinensis Diocæs. Curien., quod alias vertentibus nonnullis inter eosdem Episcopum, & Capitulum, ac Canonicos ex una parte, & dictum Abbatem ex altera controversiis inita, & facta fuit (reservato tamen nostro, & hujus S. Sedis beneplacito) inter easdem partes opera, atque auctoritate Ven. Fratris Federici Patriarchæ Alexandrin. nostri, & Sedis prædictæ in Dominio Helvetiorum, & Rhetorum Nuncii compositio, seu transactio, prout continetur in scriptura tenoris, qui sequitur, videlicet: Cum in executionem Brevis Apostolici a sa: me: Urbano VIII. sub die 5. mensis Augusti 1643. expediti, & a sa: me: Innocen. X. sub die 17. Oct. 1644. confirmati super aserta conventione de An. 1641. inita inter Rmum Bull. Rom. Tom. VI. Per. V.

Proceminu.

Supplicatio.

Dñum Episcopum, & Capitulum Curien. ex una, & DD. Abbatem Fabariansem, Dissertinensem, Mariamontanum, & Einsildensem ex altera parte fuerit anno præterito sub die 28. Sept. 1655. ab Illmo Dño Federico Borromeo Nuncio Apostolico eidem Dño Abbati Dissertinenti, & Conventui præcedente reali solutione bis mil. florenorum in Episcopatus subsidium applicatorum adjudicata omnimoda, & totalis exemptio propterea, & Monasterii a jurisdictione Rmi Episcopi moderni, & pro tempore existentis, una cum Ecclesiis Parochialibus earumque filialibus, quæ alias ad dicti Monasterii præsentationem, vel Patronatum spectabant, vel etiam nunc spectant, multaque propterea contentiones inter prædictas partes ratione jurisdictionis Episcopalis, ac prætenstæ, & respective concessæ exemptionis exorta fuerint multaque etiam dissidia provenerint inter, Communitates, Magistratus, & Populum distarum Parochiarum, & præfatum Monasterium ratione juris conferendi dictas Ecclesias, quod ad ipsas Communitates respective spectare asseritur: Hinc est quod cupientes dictæ partes Ecclesiastica, & christiana charitate quiete, & amicabiliter vivere, nullamque Acatholicis facultatem præbere, qua in Orthodoxæ Fidei discrimina inhiantes possint in ejusmodi turbis proficere in ejusdem Dñi Nuncii arbitrium suas omnes prætenstiones supradictas remiserunt, & compromiserunt, qui proinde ad infra scriptam declarationem devenit ab utraque parte acceptandam, & non alio modo valituram, nisi quatenus Sanctissimi approbationem, & confirmationem fortiat, cujus dispositioni utraque pars humillime subiacet.

Primo. Quod perpetua, firma remanente, & quatenus opus sit de novo concessa omnimoda, & totali exemptione ejusdem Dñi Abbatis, & Successorum, sui- que Dissertinensis Monasterii, & Religiosorum Ecclesiæ Conventualis, & omnium aliorum bonorum, Granciarum, pertinentiarum, & quomodolibet annexorum in omnem ampliorem formam, & modum dummodo supradictis nominalibus non veniant Ecclesiæ Parochiales, seu earum filiales in præterito contractu expressæ, seu de novo pro cura animarum erigendæ, a jurisdictione moderni, & cujuscumque in futurum pro tempore existentis Episcopi Curien. etiam quoad confirmationem, & benedictionem Abbatum per Sedis Apost. Nuncios, vel per alios de ipsorum commissione Catholicos Antistites pro majori Abbatum commoditate gratis impendendam, reducat, prædictarum Ecclesiarum, & Parochiarum, ipsarumque filialium status, ad juris communis, & Sac. Canonum præscriptum, itaut pristina ejusdem Episcopi jurisdictione Ecclesias visitandi, & corrigendi tam Populum, quam Parochos, & Cappellanos istdem Ecclesiis inservientes, atque causas ad Tribunal Ecclesiasticum quomodolibet spectantes expediendi, omnia



nique alia faciendi, & statuendi pleno jure pertineat, non tamen de novo acquisito, sed tantum, acsi prædicta exemptio nullum quoad hanc partem sortita fuisset effectum.

Secundo. Quod si quando in prædictis Parochiis aliquem ex Religiosis Monasterii Differtinensis per dd. Dominum Abbatem, vel alios, ad quos spectet præsentari contigerit, is debeat iisdem exemptionibus, & privilegiis gaudere, quæ in simili casu cum Episcopatu, & Abbate Wingartenensi conventa sunt, vel per alias conventiones inter Episcopatum, & Conventum, & ejusdem omnimodam exemptionem ad idem Monasterium Differtinense spectant, neque, exceptis iis, quæ tangunt curam Animarum, & jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, ullum Rñus Dñus Episcopus super iisdem Religiosis jus habeat.

Tertio. Quod contemplatione dictæ reintegrationis in pristina Episcopali jurisdictione, ac cessione ejusdem respectively per Dñum Abbatem facta, debeant idem Dñus Episcopus, & Capitulum restituere vere, & realiter eidem Dño Abbati, ac Monasterio Differtinensi florenos octingentos, firma, & rata permanente ad favorem Episcopatus reliqua summa soluta, & in eorumdem debitorum extinctionem applicata. Et ulterius, ut D. Episcopus magis benevolentiam suam erga dd. D. Abbatem testetur, ejusque Monasterii in quantum possit utilitati consulat, concedit ipsi sponte cum consensu, & promissione Capituli de non contraveniendo per totum consueti studii cursum scilicet per septem annos unum locum pro ad ipsius D. Abbatis libitum eligendo Alumno in uno ex Collegiis, ad quæ nominationem Rñus D. Episcopus habeat.

Quarto. Conveniunt, & declarant, ut nullum per hoc alicui ex partibus, vel aliis quomodolibet interesse habentibus maxime circa jus nominandi, præsentandi, & conferendi præjudicium illatum, vel jus quæsitum de novo intelligatur extra illos terminos in quibus ante præterito anno factam unionem, & exemptionem respectively se haberent neque per prædictam transactionem præterquam in expressis ullo modo aliquid de antiquis conventionibus, inter partes easdem, vel alias jus habentes innovatum sit, omniaque prædicta non antea suum effectum, & valorem sortiri debeant, quam per SSmum approbata, & confirmata fuerint (in quem finem utraque pars supplicare intendit) veraque, & actualis solutio florenorum octingentorum intervenerit, quam Illm̄s Dñus Nuntius ea conditione fieri consensit, ut redditus Episcopatus annui extinguendis debitis assignati nullo modo tangantur, neque novum debitum sumatur, sed de alio medio opportuno iisdem Rñus Dñus Episcopus, & Capitulum provideant, interimque a molestiis, & novitatibus contra Literarum Apostolicarum obedientiam omnino abstineant.

In quorum fidem tam Illm̄s, & Rñus Dñus Nuntius, quam Rñus Dñus Episcopus, & Capitulum Curienſe ex una, & Dñus Abbas suo, & Conventus nomine partibus ex altera se subscripserunt, & sua respective sigilla apposuerunt. Actum in Arce Episc. Curien. hac die 16. Oct. 1656.

Federicus Patriarcha Alexandrinus Nuntius Apostolicus ab utraque parte electus ita laudavi, ac declaravi. Loco t̄ sigilli Dñi Nuntii Joannes Episcopus Cunenſis. Loco t̄ sigilli Domini Episcopi Adalbertus Abbas Differtinensis nomine quoque Monasterii pro quo de rato promittit. Loco t̄ sigilli D. Abbatis NN. Præpositus, Decanus, & Capitulum Curien. Loco Sigilli Capituli.

Quæ omnia iisdem loco, die, mense, & anno, ut supra coram Rño Dño Episcopo, & Capitulo Curienſi ex una, & Dño Abbate Differtinensi nomine quoque Monasterii, & Religioſorum de rato promittente partibus ex altera in præsentia Illm̄i, & Rñi Dñi Nuntii supradicti lecta, & bene considerata per ipsas partes acceptata fuerunt, & inviolabiliter præfatam concordiam, & compromissi tenorem observare juramento promiserunt, atque ad majorem corroboracionem se subscripserunt, & propriis respective sigillis dictam concordiam muniverunt, meque infraſcriptum Notarium requisiverunt, ut unum, vel plura publicum, seu publica instrumentum, aut instrumenta, conficerem atque traderem, prout opus fuerit, & requisitus ero.

Quapropter Ego Balthasar de Comitibus de Cartignano Montis Alti Diocesis apostolica auctoritate Notarius, & hujus Nunciaturæ Cancellarius præsentibus Perillustribus, ac R. R. D. D. Felice Paradiso fil. Dñi Juliani de Monte Alto, & Francisco Maria Lezana fil. D. Bernardini Vallis Solidæ Mediolanen. Diocesis Testibus ad id specialiter vocatis habitis, atque rogatis qui præinserta omnia, & singula fieri, & acceptari una mecum viderunt, & interfuerunt præfens instrumentum confici propria manu conscripsi meumque solitum Notariatus signum apposui rogatus, & requisitus. Loco t̄ Signi.

§.2. Quare iisdem Episcopus, ac Capitulum, & Canonici, necnon Abbas exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardin. Conc. Trident. Interpretum, qui præparatam compositionem, & conditiones in ipsa contentas examinarunt, consilio, eandem compositionem, seu transactionem auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos juris, & facti

facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum italicum.

§.4. Decernentes præsentem literas semper firmas &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.5. Non obstantibus præmissis, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit Ecclesiæ Curien. ac Monasterii Differtinensis hujusmodi, & aliis quibuscumque &c. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus &c., hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Jan. 1659. An. V.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Januar. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Ex Regest. in Secret. Breve.

CCLXXXV.

Nonnullæ Declarationes super controversiis inter Generalem Ord. Min. de Observantia, & Provinciale Prov. Sanctorum Ludovici, & Elzearii tertii Ord. Sancti Francisci.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Minister Provincialis Prov. SS. Ludovici, & Elzearii FF. tertii Ord. S. Francisci, quod Definitorium Cap. Gen. Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum, die 15. Junii 1658. ordinavit, ut deputaretur Commissarius, sicut fuit deputatus dilectus pariter filius Eutropius Bertrandus Frater Recollectus secundodicti Ord. ad gubernandos Conventus d. tertii Ord., qui erant in Aquitania independentem a Jurisdictione Ministeri Provincialis, cum auctoritate alia statuendi in præjudicium d. Jurisdictionis, quibus oportune providit Congreg. Ven. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita per suum decretum die 24. Januarii 1659. emanatum, & per nostras in simili forma Brevis literas die 11. Februarii subsequenter confirmatum, amovendo dictum Commissarium a Ministro Gen. secundodicti Ord. deputatum, & declarando, Provinciale exercere debere suam Jurisdictionem in tota Provincia, etiam in Conventibus Aquitanis: a quibus tamen Decreto, & literis quidam Fratres d. Prov. appellarunt ad Nos melius informandos, atque protestati sunt de nullitate erectionis ejusdem Prov. licet a quadraginta quinque annis circiter factæ, & de electione Ministeri Prov., & Officialium, ac de celebratione futuri Definitorii Provincialis, cum tamen nulla legitima causa fuerit talis pro-

testationis faciendæ, tum quia eadem Congreg., & postea fel. rec. Innoc. PP. X. Præd. nosser die 26. Maii 1649. declaraverant fuisse rite, & bene erectam d. Provinciam tum quia electiones Ministeri Provincialis, & aliorum Officialium canonicè factæ fuerunt, absque ullo defectu, sicut memoratæ Congregationi ostensum fuisse asseritur. Quinimo tacito præfato Decreto die 24. Januarii emanato, in scio, & minime citato Ministro Provinciali prædicto, sub assertis quibusdam narrationibus, dilectus etiam filius Leo Tolosanus Frater d. tertii Ord. per subreptionem obtinuit ab eadem Congreg. die 24. Februarii Decretum etiam per nostras in forma Brevis literas die 22. Martii proxime præteriti confirmatum, ut mitteretur ad dictam Prov. Commissarius cum potestate alternativam. \* Provincial. Sic; aut Commissarium Nationalem concedendi Aquitanis, & alia plura statuendi in præjudicium Constitutionum Generalium præfati tertii Ord., consuetudinis Provincie, & jurisdictionis Ministeri Provincialis, quibus omnibus providit præfata Cardinalium Congreg. per suum Decretum sub die 20. Junii proxime præteriti editum. Attentis autem pluribus excitatis a prædicto Leone Tolosano in partibus Aquitanis eadem Congregatio per suum Decretum die 23. Martii proxime præteriti mandavit ipsi Ministro Provinciali supradictæ Provincie tertii Ordinis quatenus assignaret Conventum extra Aquitaniam d. Leonis Tolosano, sicuti assignavit Conventum S. Ludovici penes Lugdunum, præcepitque ei, & ejus Socio dilecto pariter filio Didaco Piquasguensis laico, ne sub poenis apostolicæ secederent in partes Aquitanie, sed iidem Leo, & Didacus nihilominus ausi sunt petere Tolosam, seu pergere in partes Aquitanie. Ac insuper dilectus filius Minister Generalis secundo d. Ord. prædictum Leonem Tolosanum ad pristina jura (ut fertur) rehabilitavit, & restituit; Quibus etiam supra memoratis providit sepedicta Congreg. per aliud suum Decretum die 11. Julii proxime præteriti emanatum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat occasione dd. Decretorum quedam difficultates inter prædictum Ministerium Gen. ex una, & dictum Ministerium Provinciale exponentes ex altera partibus orire sint, quas ipsi pro bono pacis sopiri plurimum desiderant: Nobis propterea iidem Gen., & Provincialis Ministeri humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Generalem, & Provinciale Ministeri specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de præfatorum Cardinalium, qui omnia præfata, & præsertim appellationem per Fratres Aquitanos, & alios interpositam viderunt, remque partibus informantibus, & præcipue prædicto

Exponentes a censuris absolvit.

Decretum S. Congr. con. hnat S. con.



Standum esse  
in Decretis S.  
Cong. decla-  
rat. & statuit  
S. Pontifex.

dicto Ministro Generali Ord. Min. de Ob-  
servantia, mature discussent, consilio,  
attentis narratis, auctoritate apostolica te-  
nere presentium decernimus, & declara-  
mus, standum esse in Decretis per eorum-  
dem Cardinalium Congreg. sub die 24. Ja-  
nuarii 1659. cassanda, & irritanda esse om-  
nia acta, & gesta per supradictum Eutro-  
pium Bertrandum Commissarium alias  
per Ministrum Gen. deputatum, & ab ea-  
dem Congregat. amotum, exceptis litem  
obedientialibus fratribus Aquitanis con-  
cessis pro transitu de uno in alium locum,  
& reducenda esse omnia ad eundem sta-  
tum, in quo erant ante ejus ingressum in  
Prov., prout per presentes cassamus, irri-  
tamus, & reducimus: Licere Ministro Ge-  
nerali deputare Visitatores, seu Commis-  
sarios, dummodo in futurum de eodem  
tertio Ord. Congregationis Gallicanae de-  
putentur (salvis tamen juribus Successo-  
rum in Generalatu) juxta consuetudinem,  
seu consuetam petitionem a Definitorio  
faciendam, posse quoque Ministrum Pro-  
vincialem deputare Praesidem, seu Commis-  
sarium pro celebratione futuri proximi  
Definitorii Provincialis. Porro benigne  
concedimus, ut quando in Aquitania nu-  
merus Conventuum fuerit auctus usque ad  
octo, possit ad Nos, seu ad eandem Car-  
dinalium Congregationem haberi recur-  
sus pro opportuna provisione; Interim au-  
tem volumus, quod omnes subjaceant ju-  
risdictioni Ministri Provincialis, imponen-  
do super praemissis perpetuum silentium,  
& signanter tam super validitate erectionis  
d. Prov., quam jam alias memoratus In-  
nocentius Praedecess. sub die 26. Maii 1649.  
declaravit fuisse semper bene erectam, &  
electione etiam legitima Ministri Provin-  
cialis, & aliorum Officialium, quam super  
omnibus aliis praenarratis. Praeterea decla-  
ramus pariter, & decernimus standum esse  
in Decretis per dd. Congreg. sub die 13.  
Martii proxime praeteriti, & praecipendum  
sicuti per praesentes praecipimus stricte pre-  
dicto Leoni Tolosano, & ejus Socio Didaco  
Puisqualquensi laico, quatenus post tres  
dies a significatione earumdem praesen-  
tium secedant recta via absque ulla mora,  
& diversiculis in Conventum S. Ludovici  
penes Lugdunum sibi a Ministro Provin-  
ciali assignatum, subjaceantque in omnibus,  
& per omnia jurisdictioni Ministri Provin-  
cialis juxta declarationem factam a Mini-  
stro Generali sub die 13. Septembris cur-  
rentis anni, non obstantibus eorum oppo-  
sitionibus, appellationibus, & aliis quibus-  
cumque: nec suffragetur aliter eidem Leo-  
ni rehabilitatio a d. Ministro Gen. concessa,  
nisi a poena privationis actuum legitimo-  
rum incurta pro sua inobedientia contu-  
macia, non vero ad alios casus juxta eandem  
declarationem Ministri Gen. salvis in om-  
nibus aliis juribus dictorum Ministrorum  
Generalis, & Provincialis. Et ut praefata  
omnia plenum consequantur effectum Ven-  
erabilibus Fratribus Lugdunum, & Tolo-  
san. Archiepiscopis, & dilectis filiis eorum

Officialibus, seu alteri ex ipsis per praesen-  
tes committimus, ut sub censuris, & aliis  
eorum arbitrio poenis praedicta omnia au-  
thoritate nostra executioni demandari fa-  
ciant, & mandent.  
§.3. Decernentes easdem praesentes li-  
teras firmas &c. & ab illis respective in-  
violabiliter observari; sicque in praemissis  
per quoscumque Judices &c. definiti debe-  
re, ac irritum, & inane, si secus &c. con-  
tingerit attentari.  
§.4. Non obstantibus oppositionibus,  
appellationibus, & aliis quibuscumque in  
contrarium deductis, & praecipue Decreto  
d. Congreg. die 24. Februarii proxime pra-  
teriti a memorato Leone Tolosano obten-  
to, & per nostras in simili forma Brevis li-  
teras die 22. Martii subsequentis confirma-  
to, necnon rec. mem. Bonifacii PP. VIII.  
Praedecess. pariter nostri de una, & Concil.  
Gen. de duabus dietis &c. & aliis Constitu-  
tionibus, & Ordinationibus Apostolicis,  
ceterisque contrariis quibuscumque.  
Datum Romae apud S. Mariam Majorem  
sub Annulo Pisc. die 9. Januarii 1660. Pon-  
tificatus nostri Anno V.

Literas hujus-  
modi confir-  
mat.

Contraria  
tollit.

Dat. die 9.  
Jan. 1660.  
An. V.

CCLXXVI.  
Praeceptum Nunciis Apostolicis pro tem-  
pore, apud Helvetios commoran. circa  
consignationem scripturarum Nunciaturae  
Successori faciendam.

Secret. Breve.  
Ex Regest. in

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad futuram rei memoriam.

§.1. CUM sicut Venerabilis Frater Fe-  
dericus Patriarcha Alexandrinus,  
noster, & Sedis Apost. in Dominio Helvetio-  
rum, & Rhetorum Nuncius Nobis nu-  
per exponi fecit, ipse plurimas scripturas  
directionem illius Nunciaturae, ac conser-  
vationem Jurisdictionis Ecclesiasticae con-  
cernentes variis ex locis adhibita, exacta  
diligentia recuperaverit, & collegerit, il-  
lasque in formam Archivi redegerit, &  
in multa magna volumina cum suis indi-  
cibus, & quovis alio apto ordine, ad faci-  
liorem pro rei, & casus exigentia earum-  
dem scripturarum usum compingi curave-  
rit, seu compingi facere intendat, maxime  
vero interfit dd. Scripturas conservari, ne  
ad alias, quam pro tempore existentium  
in memorato Dominio nostrorum, & Sedis  
praefate Nunciorum manus deveniat:  
Idcirco Nos in praemissis opportune provi-  
dere, ac eundem Federicum Patriarcham,  
& Nuncium specialibus favoribus, & gra-  
tiis prosequi volentes, & a quibusvis ex-  
communicationis &c. harum serie absol-  
ventes, & absolutum fore censentes, sup-  
plicationibus ejus nomine Nobis super hoc  
humiliter porrectis inclinati, Federico pra-  
dicto, & aliis futuris pro tempore nostris,  
& d. Sedis Apostolicae in eodem Dominio  
Helvetiorum, & Rhetorum Nunciis, sub  
nostris, & pro tempore existentis Romani  
Pontificis arbitrii poenis, Apostolica aucto-  
ritate

Motiva hujus  
Constitut.

Decreti con-  
firmatio.

ritate tenore presentium praecipimus, &  
mandamus, ut ipsorum quolibet suo in di-  
cta Nunciatura Successori scripturas, & vo-  
lumina hujusmodi conservare, & confir-  
mare, ac de illorum consignatione per eos  
facienda a Successoribus suis in eadem  
Nunciatura, quibus illa consignaverint,  
quietantiam autenticam reportare omni-  
no debeant.  
§.2. Decernentes irritum, & inane, si  
secus super his a quoquam quavis auctori-  
tate scienter, vel ignoranter contigerit  
attentari.  
§.3. Non obstantibus Constitutionibus,  
& Ordinationibus Apostolicis, ceterisque  
contrariis quibuscumque.  
Datum Romae apud S. Mariam Majorem  
sub Annulo Pisc. die nona Jan. 1660. Pon-  
tificatus nostri Anno V.

Decretum ir-  
ritans.

Contraria  
tollit.

Dat. die 9.  
Jan. 1660.  
An. V.

Ex Regest. in  
Secret. Breve.

Supplicatio.

A censuris ab-  
solventur Vin-  
centius.

Decreti con-  
firmatio.

CCLXXVII.  
Moderatio Constitutionis ne Monachi Or-  
dinis S. Benedicti Congreg. Portugalliae  
Sacros Ordines suscipiant ante lapsum  
sexennii ab ingressu Religionis &c.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus  
filius Vincentius Rangel Abbas  
Gen. Congreg. Portugalliae Monachorum  
Ordinis S. Benedicti, quod alias per qua-  
dam Constitutionem in quodam Capitulo  
Gen. d. Congregat. editam, non tamen a  
Sede Apost. approbatam, prohibitum fuit,  
ne Monachi ejusdem Congregationis, nisi  
post sexennium ab ingressu Religionis Sac-  
Ord. susciperent.  
§.2. Cum autem, sicut eadem exposi-  
tio subungebat, prohibitio hujusmodi in  
Capit. Gen. d. Congregat. novissime cele-  
brato relaxata fuerit, eo quod multi Pres-  
byteri ipsius Congregat. proxime praeteri-  
tis annis obiisse reperiuntur, ipsaque Con-  
gregatio proinde penuriam patitur sacer-  
dotum, qui Missas perpetuas illi incumben-  
tes celebrent: Nobis propterea praedictus  
Vincentius Abbas Gen. humiliter suppli-  
cari fecit, ut in praemissis opportune pro-  
videre de benignitate apost. dignaremur.  
§.3. Nos igitur ipsum Vincentium spe-  
cialibus favoribus, & gratis prosequi vo-  
lentes, & a quibusvis excommunicationis  
&c. harum serie absolventes, & absol-  
utum fore censentes, hujusmodi supplica-  
tionibus inclinati, ut ad quinquennium  
proximum tantum Monachi Congr. pra-  
efatae, licet sexennium ab eorum ingressu  
eamdem Congregat. praeteriisse minime  
reperiatur, nihilominus Sacros Ordines,  
servatis alias servandis, suscipere libere,  
& licite possint, & valeant, auctoritate  
apostolica tenore presentium concedi-  
mus, & indulgemus.  
§.4. Decernentes easdem praesentes  
Litteras firmas &c. Sicque in praemissis per  
quoscumque Judices ordinarios, & dele-

gatos &c. definiti debere, ac irritum, &  
inane, si secus &c. contigerit attentari.  
§.5. Non obstantibus praemissis, ac  
Constitutionibus, & Ordinationibus Apo-  
stolicis, ceterisque contrariis quibuscumque;  
Datum Romae apud S. Mariam Majorem  
sub Annulo Piscatoris, die 15. Januarii 1660.  
Pontificatus nostri Anno V.

Contraria  
tollit.

Dat. die 15.  
Jan. 1660.  
An. V.

Ex Regest. in  
Secret. Breve.

CCLXXVIII.  
Quod Provincia Franciae tertii Ord. San-  
cti Francisci Congreg. Galliae uti possit  
Brevis ab Urb. VIII. emanato sub die 20.  
Augusti 1641. super facultate admitten-  
di Oblatos, seu Servientes ad Caputium,  
& statum laicalem.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dile-  
cti filii Fratres Provinciae Franciae  
Congreg. Gallicanae tertii Ord. S. Franci-  
sco de Poenitentia nuncupat. quod Constitu-  
tiones Generales ejusdem Congreg. a Sede  
Apostolica in forma communi confirmatae  
permittunt receptionem Fratrum Servien-  
tium, seu Oblatorum, qui vice Caputii pi-  
leum ferant, & praeter tria vota essentialia,  
quartum de non procuranda alia conditio-  
ne a sua emitant, ac biennio integro pro-  
bentur. Atque ita recepti fuerunt usque ad  
annum 1641. quo tempore de Superiorum  
consensu cum eisdem Fratribus oblatis, seu  
servientibus super quarto voto de non pro-  
curanda alia conditione ab eadem Sede dis-  
pensatum fuit, & Superioribus permittum,  
caputium illis concedere, & ad statum lai-  
calem eos promovere post septem annos a  
votis emissis, & unum recollectionis, cum  
aliis clausulis, prout in Literis Apostolicis  
desuper in simili forma Brevis eodem an-  
no expeditis dicitur contineri. Quia vero  
dicti Fratres facti laici, alique laici per di-  
ctas literas nullo jure suffragiorum, nisi in  
receptione novitiorum ejusdem status, &  
conditionis ad professionem gaudere per-  
mittebantur, cum Fratres laici juxta Con-  
stitutiones Ord. suffragia dedissent tam in  
receptione Clericorum laicorum, & Obla-  
torum, seu servientium ad professionem,  
quam in electione Discretorum ad Capitu-  
la mittendorum, eaque de re conquere-  
bantur, ideo de consensu Superiorum eisdem  
Fratribus laicis praesentibus, & futu-  
ris etiam a statu oblato ad statum laica-  
lem assumptis, vel assumendis, tale jus suf-  
fragiorum restitutum fuit per Literas Apo-  
stolicas pariter in forma Brevis die 25.  
Maii 1644. emanatis. Et postea nempe  
die 20. Apr. 1656. a Ministro Gen. facta fuit  
declaratio super statuto biennii novitia-  
tus eorum ad unum dumtaxat annum redu-  
ctus fuit.  
§.2. Cum autem, sicut expositio sub-  
ungebat, juxta dd. facultates omnes Fra-  
tres oblatis, seu servientibus, qui erant in  
tota Congreg. circa praedictum annum 1641.  
ad

Expositio



ad statum laicalem admitti fuerint, & Caputium receperint, & una d. Congregationis Provincia S. Ivonis, seu Normannie nuncupata omnes suos Fratres hastenus admiserit cum uno tantum probationis anno, & tribus votis solemnibus solitis cum concessione Caputii, & promotione ad statum laicalem post octo annos ab emissâ professione nemine in tota congregatione reclamante, aut contradicente, supradicta vero Prov. Francia, seu S. Francisci aliquot annis a receptione hujusmodi Fratrum abstinuerit, sed experientia docuerit ipsam Provinciam multa pati incommoda ex defectu talium Fratrum, ideoque nuperum Capitulum provinciale ejusdem Prov. Francie eorum receptionem juxta dd. facultates, & ad instar d. Prov. S. Ivon., seu Normannie faciendam esse decreverit: Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari de Venerabilium Fratrum nostrorum. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem diligenter, & mature discussurunt, & examinarunt, consilio, eidem Provincie Francie suffragari, ipsamque uti posse literis fel. rec. Urb. PP. VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis die 20. Augusti 1641. emanatis super facultate admittendi Oblatos, seu servientes ad Caputium, & statum laicalem, servata tamen in omnibus forma earumdem literarum; Et quoad jus suffragandi servata pariter forma literarum etiam in forma Brevis ejusdem Urbani die 25. Maii 1644., & rec. mem. Innoc. PP. X. Prædecess. pariter nostri die 6. Aprilis 1648. respectu expeditarum; Quo vero ad dispensationem, seu declarationem Ministri Gen. Ord. Min. factam die 20. Aprilis 1646. quod sufficiat unus annus novitiatus, servandas omnino esse Constitutiones præfati tertii Ord. Congreg. Gallie, ex quibus requiritur biennium auctoritate apostolica tenore præsentium, decernimus, & declaramus.

Decretum irritatis.

§.3. Decernentes pariter eadem præfentes literas semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus in contrarium alatis, ac Constitut., & Ordin. Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 2. Januarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. die 2. Jan. 1660. An. V.

CCLXXIX.  
Quod Fratres Minores de Observantia S. Francisci Provincie Valentie non

possint transire ad Recollectos absque licentia Ministri Provincialis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

**A**Lias pro parte dilecti filii Jacobi Quintana Procuratoris Provin. Valentie Ord. FF. Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congreg. Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regul. præpositæ exposito, quod vigore concordie dudum inter FF. Min. de Observantia nuncupatos ex una, & FF. Recollectos Provincia, & Ord. prædict. ex altera partibus inita, & a fel. rec. Gregorio PP. XIII. Prædecess. nostro confirmatæ, qua cavetur, quod FF., qui ex domibus non Recollectis ad Recollectas transire voluerint, consensum prius in scriptis habeant Guardiani, & Conventus domus, ad quam transire intendunt, consensus vero hujusmodi per vota secreta exquiratur, & eo obtento licentia humiliter petatur a Ministro Provinciali transeundi ad præd. domum, quam ipse Minister benigne concedere teneatur; multi non zelo virtutis, nec ut ferventius Deo servire possent, sed per voluntatis inconstantiam, & mutabilitatem tendentes ad aliquem Conventum Recollectorum, & acciperent vota; ac licet Minister Provincialis videret talem transitum esse contra bonum regimen d. Provincie, & nullo modo convenire, ipso invito transirent ad Recollectos, freti particula suprad. concordie, qua dicitur quod Minister Provincialis licentiam concedere teneatur.

Motiva.

§.1. Et in ead. expositione subjuncto, hoc videri esse contra mentem d. Gregorii Prædecess., & Religionem, ideoque ad tales abusus evitandos d. Congreg. supplicato, ut declarat d. particulam; ita scilicet ut Minister Provincial. ejusmodi licentiam concedere teneatur, si judicaverit secundum Deum ita expedire, & non aliter, & sic de aliis affirmativis, & negativis in ead. concordia positis: emanavit ab ead. Congr. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet,

Decretum Sacre Cong.

§.2. Sacra Congreg. Eñorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, attentis narratis, ac audito Ministro Gen. Ord. hujusmodi circa præmissa declarandum censuit, prout præsentium tenore declarat, & decernit, ex vi præcitæ clausulæ in mem. concordia a Gregorio XIII. confirmatæ appositæ, Ministri Provinciale Provincie præd. pro tempore existentem, ad concedendum licentiam ejusmodi transitus non teneri nisi quando secundum Deum illam concedere judicaverit expedire, & sic de aliis affirmativis, & negativis in ead. concordia contentis: quibuscumque in contrarium non obstantibus. Romæ 19. Decembris 1659.

§.3. Cum autem, sicut d. Jacobus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujus-

jusmodi Apost. confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Jacobum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Decreti confirmatio.

Præfentes literas observari si mandat.

Contraria collit.

Dat. die 22. Jan. 1660. An. V.

§.4. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apost. tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adicimus, salva semper in præmissis auctoritate præd. Congr. Card.

§.5. Decernentes easd. præfentes literas semper firmas &c. inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Jan. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXX.

Confirmat Decretum Capituli Gen. Congreg. Hispaniarum FF. Discalceatorum nuncupat. SSmæ Trinitatis Redempt. Captivorum, scilicet quod Prælati locales, seu Conventuales non amplius habeant vota in Capitulis Gen., sed solum Superiores Gen. Definitorum Gen., Provinciales, & Socii seu Discreti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procedimus.

**A**D Pastorale fastigium meritis licet imparibus, Divina dispositione eventi, illis, que pro felici, prosperoque Congreg. Virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum regimine, & gubernio provide, & salubriter decreta, & constituta esse conspiciamus, libenter cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Supplicatio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Gen. Congreg. Hispaniarum FF. Discalceatorum nuncupat. Ord. SSmæ Trinitatis Redempt. Capt., quod iidem FF. in eorum Capitulo Gen. die 10. Maji proxime præteriti in Civitate Toletana celebrato, qui juxta literas Apost. in simili forma Brevis per d. Congreg. obtentæ, intervenerunt, & in quo vocales fuerunt dilecti pariter filii Ministri Gen., Definitorum Gen., Provinciales, & Ministri Conventuales ipsius Congreg., confidentes eamdem Congreg. benedicente Domino dilatam esse in tres Provincias, & plurimas domos inter se valde distantes, quippe in Regnis Castellæ, Boeticæ, Aragoniæ, Navarræ, Cataloniæ, & Valentie politas: consilioque ipsis per experientiam occasione accessus Ministrorum Conventuali ad Capitulum Gen., longissima itinera suscipi, magnasque fieri expensas, quin etiam

Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

propter diuturnam illorum a Conventibus absentiam minus vigere in eis regularem observantiam; ac perpenso eos, quos Vocales assignari, ut infra petitur, majoris esse observantiæ, doctrinæ, & experientiæ, necnon animadvertentes in multis Religionibus, tam antiquitus, quam non ita pridem institutis Prælatos locales, seu Conventuales non concurrere, nec habere vota in Capitulis Gen., Provinciales, & Socios seu Discretos, prout FF. Discalceati nuncupati Ord. B. Mariæ de Monte Carm. & Eremitarum S. Augustini respective observant; aliisque demum mature discussis, & ponderatis.

§.2. Statuerunt, & decreverunt per secreta suffragia, quod Ministri Conventuales d. Congreg. non adeant Capitulum Gen. ipsius Congreg., quod de triennio in triennium celebratur, nec in eo habeant vota. Item quod obtineri debeant ab hac S. Sede literæ Apost. approbationis, & confirmationis hujusmodi determinationis, cum derogatione quarumvis aliarum Apost. in forma Brevis literarum eid. determinationi contrariarum. Præterea a Nobis petendum esse, ut assignemus pro vocalibus Capituli Gen. ejusd. Congr. Ministrum Gen., Definitorum Gen., Provinciales, & unum Socium pro unaquaque Provincia ipsius Congreg., ut cum Provinciali veniens ferat vocem Provincie, qui tamen Socius debeat esse unus ex Ministris Conventualibus ipsius Provincie. Ad hæc, quod post obtentam a Nobis confirmationis hujusmodi literas, pro hac prima vice, & pro Capitulo proxime celebrando, præd. Socius pro unaquaque Provin. eligatur per secreta suffragia a Ministro Gen., & a duobus Definitoribus Gen., necnon Provinciali illius Provincie, pro qua eligetur Socius. A Capitulo vero proximo futuro fiat electio Socii pro unaquaque Provincia post finitas electiones Prælatorum, concurrentibus tantum ad d. electionem Ministro Gen., duobus Definitoribus, Provinciali illius Provincie, & Socio jam tunc existente in Capitulo. Si autem per mortem, inhabilitatem, vel aliam justam causam d. Socius sic pro unaquaque Provincia in Capitulo Gen. electus non potuerit intervenire, & adesse Capitulo successive futuro, tunc electio novi Socii fiat a Ministro Gen., & duobus Definitoribus Gen. existentibus pro illa Provincia, & a Provinciali ipsius Provincie, cui defecerit socius, & hoc per secreta suffragia ante Capitulum tempore sufficienti, ut Socius sic electus possit accedere ad Capitulum.

§.3. Quare idem Procurator Gen. Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur ipsum Procuratorem Gen. specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statutum, & decretum

Procurat. Gen. nuncupat. rem censuris absol vit s. r.

G tium